

בש"ק הקנה

IMPERIUM

METAPHYSICÆ,

Benevolo

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

In

ACADEMIA LIPSIENSI

indultu

PRO LOCO

in Eadem obtinendo

VICE PRIORI

disputaturus,

Ad d. 11. Decembr. A. R. S. M. DC. LXXVI.

publicè tuebitur

M. IMMANUEL HORN,

Neukirchâ-Lufatus.

LIPSIÆ,

EX OFFICINA SPÖRELIANA.

a. LV. 8.

19

L. M. Rosenberg.

Ill. diss. A
8

V I R O
Nobilissimo, Consultissimo atqve
Clarissimo
DOMINO
FRIDERICO BENEDICTO
CARPZOVIO,
J. U. Cand. & Polyhistori famigerabili,
Domino, Fautori & Amico suo admodum
colendo,

Hanc de Imperio Theoretico dissertationem

dedicat

AUCTOR





בש הקבר



Vantum de primatu & *Wesedeias* jure concertationes olim præcipuè inter seculares pariter & Ecclesiasticos frequentissimæ, neque hodiè quidem consopitæ omnes, in Civitates & Ecclesias mali inferre consueverint, cum Historiam, quæ dicente Cicero-
ne, est temporum testis, testem habemus, tum quoti-
dianâ ipsi edocemur experientiâ. *Hec enim*, (putà altercari de præce-
dentia, ambitiosèq; nimis affectare *κρωλον Wesedeias*), scribit B. Chry-
sostomus, a) *etsi minima esse videantur, magnorum tamen causa sunt*
malorum. Nam & Civitates & Ecclesias sæpenumerò everterunt. Pro-
pterea nec à lacrymis abstinere possum, cum primos istos confessus & salu-
tationes audiam, ac in mentem veniat, quot quantaq; hinc mala in Ec-
clesia DEI orta sunt, &c. Juvat vel unicum Ecclesiæ Doctori Sene-
cam adjungere, cujus verba cum vanam & phantasticam ejusmodi
præcedendi cupiditatem venustè perstringant, digna sunt, quæ hanc
in rem adscribantur. *Relinque*, inquit ille, b) *ambitum, tumida res*
est, uana, ventosa, nullum habet terminum, tam sollicita est, ne quem
ante se videat, quam, ne alium post se, laborat invidia, & quidem duplici,
& invidetur ei, & invidet ipse. Vides, quam hic miser sit! Confragosa
in fastigium dignitatis via est. Quæ cum ita sint, mirari forsitan quis
possit, quo fato irrepere in scholas suas ipsi Philosophi de præceden-
tiis certamina passi sint, aut hodienum in Cathedris suis disceptari de
Wesedeias jure permittere sustineant, cum præsertim, dicente Lactan-
tio, c) *contentione de dignitate nihil foedius, nihil arrogantius, nihil à*
(NB) sapientis ratione semotius sit. Sed benè est. Uti enim omnia à
nobis jam allata eruditorum calculo gaudere constat: ita inde non

A 2

sequi-

a) Homil. 73. in Matth. b) Epist. 85. c) de Justit. lib. 5. c. 15.

sequitur, honoris & loci debiti rationem habendam non esse; *cum* humilis sit, & abjecti animi jacturam honoris proprii insuper habere, neque estimare. d) Quare cum jam de prerogativa non tantum & precedentia, quam prae disciplinis reliquis nobilis illa in Philosophia theoretica scientia, Metaphysicam indigito, jure quodam sibi vendicat, sed ipsius adeo in illas Imperio, nonnulla in medium afferre mihi proposuerim, hoc institutum meum, utpote ita comparatum, ut nihil inde mali metuendum sit, cordatioribus haut improbatum iri confido. Sequemur autem hoc in negotio ipsum Philosophorum principem, qui duas in Orbe Philosophico Imperatrices quasi & reginas constituit, Sapientiam nimirum in theoretico, & Prudentiam in Circulo practico, seu, si ita mavis, Metaphysicam & Politicam, ita tamen, ut isti quoque hanc subjiciat, huicque quasi famulae, istam ceu dominam imperare dicat ac confirmet. e) Nos in hujus rei pertractatione ita versabimur, ut, quantum quidem vires sic satis tenues valebunt, laudatum Metaphysicae Imperium 1. exponamus, 2. si qui heic illius hostes sese offerant, habitum temporis instituti que ratione refellamus. Aphorismi igitur hujus Διασκέψεως nunc quidem prodibunt duo, quorum alter erit κατὰ σκορευατικὸς, alter ἀνασκορευατικὸς, uterque Scholiis subjectis deinceps explicandus. Faxit DEUS, Coeli & terrae Imperator Maximus; Feliciter!

APHORISMUS I.

De Metaphysicae existentia tantum abest, ut dubitemus, ut eandem potius disciplinam excellentissimam, quinimò omnium reliquarum principem ac Dominam statuamus.

§. I.

Cum in evolutione vocum nihil, quod ad praesens quidem, momenti situm deprehendamus, omnemque, qui in themate mere philosophico circa nomen [solam homonymiam si excipias,] suscipitur labor, supervacaneum, imò erroneum putamus,

d) Crus. Synd. Mind. de universo *ἡγεμονίας* jure p. 8. e) lib. 10 Mag. mor. c. 35.

mus, non est, cur in explicatione Tituli nominali: quid Imperium, quid Metaphysica, quævè vocabulorum origo, in præsentem multum desudemus. Rem potiùs ipsam statim aggredimur, & quanquam dici heic possint quàmplurima, nec defuturos esse arbitrer, qui vel definiri à me Metaphysicam, vel minimùm tricas illas, quas circa diversam Metaphysicam proponendi rationem, quæ est inter Aristotelem & Scholasticos, aliàs offendimus, expediri postulent, eò quòd discrimine hoc neglecto, quò modò Imperium Metaphysicæ adjudicetur, constare nequeat; his tamen talibus immorari impræsentiarum nolo, non enim jam de Metaphysica agimus, sed de ipsius Imperio, nec, pro ut methodo tantùm Aristotelis traditur, sed Scholasticorum quoque, disciplinarum Imperatricem esse, id tamen citra ullam confusionem, dicimus.

§. 2. Quod Metaphysicæ nostræ Imperium quò pensitatiùs consideramus, eò magis venit in mentem mirari, quàm fronte inveniri se olim passi fuerint, qui doctrinas Metaphysicas non modò inanes subtilitates & Scholasticorum nugas dictitarunt, sed Metaphysicam esse doctrinam peculiarem, & distinctam à Logica & Theologia planè negarunt, f) choragum nacti Petrum Ramum, hostem Metaphysicæ acerrimum, g) quorum argumenta ut gratæ brevitatis ergò non adduco, nec respondere ad ea chartæ angustia, utpote aliis, quæ ad scopum nostrum magis faciunt, destinanda permittit: h) ita ad Metaphysicæ excellentiam in Aphor. nostro indicatam accessum facio; Et quamvis hîc iterum, quæ eandem stabilirent, adducere, eaqve non pauca, quidem, possemus, cum illis tamen, quæ ad ultima Aphorismi verba dicenda sunt, ut una, quod ajunt, fidelia duos dealbemus parietes, nevé vagari extra oleas videamur, hæc jungimus, eò quòd ex imperio à Metaphysica in disciplinas reliquas tanquàm regina exerceri solito, illius nobilitas & præcellentia demonstrari omnium clarissimè possit.

§. 3. Hîc autem, ut ordine procedamus, istum Metaphysicæ do-

A 3

mina-

f) vid. aur. Tractat. Corn. Martini de anal. mat. p. m. 211. seq. Scharf. quæst. philos. disp. 4. q. 1. g) in proæm. 1. lib. Met. c. 1. 3. h) vid. interim Magnif. hodiè Acad. Rect. Pl. Rev. & Excell. Dn. Lic. Alberti, Præceptoris mei valdè venerandi Colleg. Met. MSC. in Tab. Stal. huic, si placet, adde Christian. Matthiæ exerc. Met. Disp. 2. disq. 1. p. 61. Joh. Scharf. l. c. Finck. Disp. 2. Met. q. 2. p. 45.

minatum competere dicimus [1.] quidem & præcipuè ratione *attribu-
tionis*, dum objecta ceteris disciplinis assignat, eaq; determinat;
quemadmodum reginæ est, leges præscribere, certosq; ponere subditis
terminos, & circa quæ, quævé ratione versari debeant, ostendere. Hæc
quippe ea est disciplina, quam ἀκραιβερτάτην καὶ ὡπερ κεφαλὴν ἔχουσαν
ἑπιτήρησιν τῶν πτωχῶν, magnifico sanè titulo Aristoteles appel-
lat: i) hæc scientia est ἀρχιτεκτονικὴ, disciplinis reliquis præsi-
dens, iisq; ceu domina servabus præscribens atqve imperans, & sicuti
architecti est, quotidianas distribuere operas, isti hoc, aliud illi confi-
ciendum opus assignare: ita Metaphysicam diversa diversis disciplinis
objecta transferre, quibusq; se illarum unaquæq; continere debeat,
limites determinare cernimus. Et cum de Ente in universali ipsa agat,
ab hac quasi massa certas pro disciplinis inferioribus particulas decer-
pit, demittendo sese ad particulares rerum quidditates, in quantum
tamen permittere objectorum determinatio videtur.

§. 4. Quod ut eò evadat clariùs, hunc, quem in determinandis
objectis servat disciplina nostra, modum paulisper delineabimus. Con-
ceptus hominis in conclusionibus seu objectis scientiarum producen-
dis est vel universalissimus, qui Ens in genere gignit, vel particularis,
ad certam Entis speciem respiciens: *illum* sibi Metaphysicâ appro-
priat, *hunc* disciplinis amandat reliquis. Quo in negotio procedere
ita fermè solet: Quicquid est, vel est substantia, vel accidens: Substan-
tia est vel materialis, quæ vocatur corpus, vel immaterialis, diciturq;
Spiritus, qui si infinitus, Deus est, si finitus, Angelus vel anima homi-
nis. Has ergò substantiarum species determinatè inter inferiores par-
titur disciplinas, ut huic naturalem infiniti DEI cognitionem tribuat,
ejusq; essentiam & attributa docenda, quod assignat *Theologie natura-
li*: altera Spirituum finitorum rationem, jubente sic Metaphysicâ, in-
quirat, voceturq; *Pneumatica*; [Quamquam, quod hîc obiter noto, qui
disciplinarum objecta diversis constituunt abstractionibus, DEUM &
Spiritus finitum jungant, quandoquidem circa Spiritum cum in-
finitum, tum finitum eadem occurrat abstractio, ea nimirum, quæ ab
omni materia in universali, non tantum quoad rationem, sed & quoad
rem, & quidem secundum essentiam abstrahere consuevimus.] *Alia*
circa substantias materiales occupata corporis naturalis naturam &
causas

i) 6. Eth. Nicom. c. 7.

causas exploret, quod committitur *Philosophia naturalis*. Ad eundem planè modum circa accidens disponendum & distribuendum sese gerit Metaphysica, ita ut *Mathesi* adscribat quantitatem, qualitatem *Ethica*, quæ de virtutibus & vitiis est sollicita, ad physicam patibiles qualitates & passiones &c. ableget. Sic igitur scientiarum particularium objecta, uti est apud Averroëm, *k*) describit & demonstrat, ut adeò nulla detur disciplina, quæ non objectum suum reginæ Metaphysicæ acceptum referat. *l*)

§. 5. Objectum verò cum fundamentum cujuscunque disciplinæ sit & terminus; quemadmodum finibus distingvi ait disciplinas Scaliger, *m*) finium autem distinctiones parere objecta, docet nos Pererius, *n*) inde sequitur, Metaphysicæ esse, scientias inter se distingvere, *o*) illisq; suos suppeditare terminos, verbo: ut reginam eas, ipsam solam liberam dirigere.

§. 6. Referri ad hanc Imperii Metaphysici partem commodè potest *principiorum* cum universalissimorum, tum particularium tractatio; tametsi enim sua quælibet disciplina inferior principia propria docente Philosopho *p*) possideat, illa tamen omnia scientiarum perfectissima ex sese ceteris, aliis quidem magis universalia, aliis particularia magis Metaphysica largitur, quippe quam circa prima reliquarum scientiarum principia solam versari ait post Aristotelem *q*) Scaliger, *r*) & à principiis Metaphys. pendere reliqua, ut effectum à causa, celeberrimus ille Italorum Philosophus, Zabarella *s*) docet.

§. 7. Hæc inter scientias distributa principia simpliciter ab illis acceptantur, & ut in suis quælibet demonstrationibus progredi possit, in Metaphysica jam probata supponuntur; sicuti non omnia principia discutienda esse, sed in quibusdam eorum certis in scientiis simplici acquiescendum intellectione, docet Scaliger; *t*) Hinc natus eximius ille Metaphysicæ titulus, quòd κεφαλήν ἔχουσα, capitata scientia à Philosopho dicatur, *u*) reliquis omnibus principia, [si horum originem spectes]

k) lib. 3. de Cælo, com. 4. *l*) vid. Magnif. Dn. Scherzer. Brev. Eustach. q. met. 3. p. 489. cui, si lubet, adde Scharf. l. c. Disp. 12. q. 6. Scheibl. l. 1. op. Met. c. 1. tit. 5. art. 1. n. 117. 125. p. 45. 48. *m*) Exerc. 256. *n*) l. 1. de philos. p. 10. *o*) Piccolom. in Comment. Polit. part. 2. p. 973. *p*) 6. Ethic. Nic. 7. & 1. Post. 8. *q*) ibid. c. 7. *r*) l. 1. de caus. LL. c. 4. p. 9. *s*) in 1. Post. t. 9. fol. 64. *t*) loc. proximè cit. *u*) 6. Eth. Nic. c. 7.

species] mutuatitia tantum agnoscendo, illorumque; probationem Metaphysicæ relinquendo, ἀκεφάλους quasi existentibus.

§. 8. Et hactenus quidem de respectivè primis & particularibus principiis, quæ disciplinis inferioribus attribui à Metaphys. ostendimus; Quòd si verò ad primò-primam [ut cum Scholasticis loquar] respiciamus, quantam ex iis Imperio Metaphysico partem accedere deprehendimus! Agit enim nostra hæc scientia de principiis universalissimis, quorum valorem in disciplinis omnibus, imò in quocunq; vitæ genere penes quosvis cernimus maximum, quævé scientiæ unicuique sunt communia, quia omnes illis utuntur, prout res subjecta postulat, & quatenus ab his reliquarum principia pendent, w) quippe quæ, cum sint particularia, in sua quodque disciplina tantummodò valere existimes.

§. 9. Porrò cum principis & reginæ sit officium, possessiones non modò subditis tribuere, sed easdem quoque adversus hostes & invasores quoscunq; tueri ac defendere, necesse est, an regina nostra subjectis sibi disciplinis tale quid præstare possit, inquiramus. Et sanè si rem æstimare intimiùs, & observare diligentius volumus, vel hoc [2.] *defensionis* nomine Metaphysicam optimo sibi jure dominatum transcribere fatebimur. Istam autem, qua disciplinis præstò est defensione, [utimur in latiori aliquantò significato defensionis voce, ita ut confirmationem & probationem sub suo comprehendat ambitu,] vel circa ipsa earundem *objecta*, vel circa *principia* exerit; Unicuique enim disciplinæ objectum non tantum assignat, uti §. 4. est ostensum, sed illud quoque, si vocari in dubium velit, probat, & esse demonstrat. Hinc Aristoteles, *Scientia*, inquit, *non probat, sed supponit suum subjectum esse: & quid sit. Ergò oportet, ut aliunde sumat, & cum non semper adsit per se notum, sæpèq; indigeat aliquâ declaratione & probatione, oportet illud sumere ex superiori aliqua disciplina, quæ non nisi Metaphysica esse potest, ad quam spectat considerare essentia & quidditatis rationem.* Gemella huic apud Averroëm x) videas, qui *Metaphysica*, ait, *esse defendere ac verificare subjecta scientiarum particularium.* Nam si Physicæ v. g. objectum reale esse neges, physica defendere seipsam nequit, quia, quid sit reale, ignorat; y) Hic ergò recurrendum physico ad Metaphysicum, sui que objecti inde defensio petenda.

§. 10.

w) 1. Post. 8. & 4. Met. cont. 7. x) 1. cit. y) Scherzer. l. c. p. 490.

§. 10. Nec minùs, ad principia disciplinarum quod attinet, & illa hanc Metaphysicæ tutelâ opus habere, à Philosophorum principe erudiris, ζ) verba illius advocare jam non vacat, vide interim ὁμόψυχον ipsi Scaligerum, firmare & confirmare Metaphysicam ceterarum artium principia asserentem, a) quæ si negentur, ad superioris hujus disciplinæ principia confugiendum est, ac demùm ad illud absolutè primum: *Impossibile est, idem simul esse, & non esse.*

§. 11. Tandem ut verbo omnia dicamus: Est Metaphysica scientia catholica, b) *μὴτὴρ ἡ κυρία πάντων*; c) princeps quidem & domina, quia scientia cuius suum concedit subiectum, ejusq; quasi digito communes ostendit affectiones & communia principia: d) mater autem, quia totam in se philosophiam virtualiter continet, primasq; Entium causas, & Ens ipsum suo in ambitu latissimè sumptum considerat, & ex se tanquam mater scientias particulares ceu filias progignit & excludit. e)

§. 12. Possit adhuc unica ad imperium nostrum non parùm faciens (3.) afferri ratio, ultimi nempe finis contemplatio, quemadmodum ex hac principatum adjudicare Metaphysicæ Aristotelem ait Svarefius, f) *Sicut in artibus*, inquit, *quæ ad aliquem finem subordinantur, illa architectonica est, aliisq; imperat, quæ supremum finem in illo ordine considerat, ita Metaphysica, quæ absolutè ultimum scientiarum finem contemplatur, artiumq; omnium totius humanae vitæ, dicitur imperare omnibus, omniumq; esse princeps & domina, non quia propriè & practicè imperet, sed quasi virtute & eminenter, ostendit enim finem, in quem omnia dirigenda, eumq; finem ultimum rerum omnium ostendit, & ideò ex parte rei cognita virtute & eminenter, quantum est ex se, omnibus imperat, omniaq; in eum finem, summum Bonum dirigit.* Adderemus hinc plura, nisi properandum esset ad alia, juvat tamen unicum adhuc audire Sonerum, qui, præest hæc scientia, inquit, g) *non quidem imperio practico, quod ad prudentiam spectat, sed directione speculativa, quatenus quidditatem subiecti, quæ supponitur in qualibet scientia, resolvit in primam rationem sive quidditatem, tum etiam, quia principia prima confirmat atq; tuetur, à quibus lucem & certitudinem accipiunt ceterarum scientiarum principia, quod innuit Philosophus 1. Post. c. 7.*

§. 13. Quod si jam ex his, quæ dicta sunt, aliqualis concinnanda esset

B

fet

ζ) 1. Phys. 2. a) de caus. LL. l. 1. c. 4. p. 9. b) 1. Met. 2. l. 6. c. 1. alibi. c) 1. Post. 7. d) Zabarell. l. c. Fonsec. l. 1. Met. c. 2. q. 1. e) Scalig. Comment. in 2. Arist. de plant. f. 88. f) Disput. Met. 1. sect. 5. fol. 32. g) prolegom. ad Met. Arist. p. 13.

set descriptio; diceremus, Imperium hoc Metaphysica esse prerogativam illam, quæ non tantum nobilior est hæc scientia reliquis, sed iisdem etiam objectis, circa quæ versari debeant, assignat & determinat, principiaq; largitur, utraq; verò defendit, ac demum finem ultimum, in quem dirigenda sint omnia, fideliter ostendit.

APHORISMUS II.

Imperium Metaphysicæ, licet theoreticum tantum sit, verum tamen & reale est.

§. 1. Et hætenus, si non vivis expressa luminibus, ductis saltem lineis adumbrata natura Imperii nostri metaphysici & indoles à nobis fuit. Ex iis autem, quæ in medium produximus, constare cuivis facile potest, non practicum quidem esse hoc imperium, veruntamen ideò non in dubium statim vocandum, aut planè explodendum esse. Quod arrogantianè, an incitia motus nescio Vir quidam Silesius *mei nominis*, nimis abjectè de scientia nostra sentiendo, præq; illa Politicam suam omnium artium scientiarumq; reginam & dominam celebrando, ausus fuit, argumentis pugnans nonnullis, sed elumbibus sanè, Philosophoq; qvalis videri ipse vult, indignis, quæ, dum afferuntur, simul refutantur.

§. 2. *Triples*, inquit, *b)* communiter fundamentum est, quod discernere nobilitatem alicujus disciplinae statuunt, certitudinem habitus, eminentiam objecti, & utilitatem tractationis. Ex singulis Politica præ theoreticis adstruetur dignitas. Quibus in disciplinae nobilitandæ requisitis tametsi desiderari nonnihil adhuc possit, acceptabimus tamen illa, & num Politicæ potius, quàm Metaphysicæ competant, dispiciemus.

§. 3. Primum suum *Hornius* argumentum probat, non vagum esse, in-
quiens, aut errabundum, quod Politica tradit, certa esse imperia & obsequia. Resp. esto, certum sit & firmum, quod tradit Politica, qvalis autem illa certitudo, aut quodnam certitudinis hujus objectum? cum illa tantummodò circa præcepta versetur & dogmata Politica, quæ non vaga esse aut errabunda, lubentissimè concedimus, sed de hoc nondum est quæstio. Statum ergò attendat adversarius: an circa *res politicas* ex habitu politico ita certus & [stylo Philosophi] ἀμετάπτωτος & fieri homo possit, ut nullum amplius penes ipsum resideat dubium? Id quod ad demonstrationem propriè & scientiam pertinet. Consistunt dogmata politica primariò in Ci-
vitatatis

b) Jo. Frid. Hornius lib. Polit. de Civit. c. 5. n. 4. p. m. 48. seqq.

vitatis natura explicanda sive affectionibus ejus demonstrandis: & huc usque certitudo politicæ immota relinquitur. Postmodum referri aliquo modo possunt ad conjiciendum eventum actionum humanarum ex præcedaneis similibus judicatarum, atq; hinc, cum spectentur effectus ex causa libera orti, nunquam ita certa est politica, ut falli fallereq; non possit. *i)* Ab illis enim, quæ libertati humani subjacent arbitrii, adeoque merè contingencia sunt, omnis planè demonstratio exulat. Hoc autem quò minus de Politica affirmemus, adduci nos ab Hornio nunquam patiemur. Expendas quæso tecum miram, quæ in rebus Politicis conspicitur varietas, & ad certas eam regulas redigere te posse, scientiamq; inde tibi comparare, penitus desperabis. Et quanquam præscribi heic quædam possint regulæ atq; præcepta, apodictica tamen non sunt, sed probabilia tantum, ubi illud *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ* obtinere quam maximè cernimus. *k)* Adduci hanc in rem verba Philosophi *l)* possunt, quando prudentis [prudentiam verò in Politicis regnare, omnes novimus,] *id maximè opus esse dicit, ut rectè consultet, sed de iis, inquit, consultat nemo, quæ evenire aliter nequeunt.*

§. 4. Frustrà verò tueri suum Hornius argumentum laborat. *Si aliquando, ait, non respondeat eventus, id naturam negotii civilis haut tangit, quia extrinsecum impediens accedit, & Deus propriâ manu statum regnorum versat.* Imò verò tangit negotii civilis naturam, si eventus non respondeat; Quæro enim ex adversario, quidnam in negotiis politicis præstantius ipse judicet, utrum præcepta & dogmata, quæ tradit Politicus, an ad beatitudinem Civitatis directionem? Non puto, affirmabit prius, aliàs certè propria, quod ajunt, vineta cæderet, cum sic in meras Politica sua speculationes abiret, quarum tamen hostis est Hornius infensissimus. Taceo, exiguum, immò nullam planè ex tali politicæ tractatione utilitatem, cujus studiosum se admodum esse ostendit, (vid. §. Aphor. hujus 17. & seqq.) in ipsum redundaturam. Cum ergò introducere in civitatem S. B. intendat Politicus, veruntamen intentioni non respondeat eventus, quæ quæso civilis negotii naturam hoc non tangat, aut qualis certitudo tribui hoc modo Politicæ possit?

§. 5. De miraculis quod affert adversarius, ad institutum parum, vel planè nihil facere, mox mecum fateberis. Verba illius hæc sunt: *Superioris agentis interventus non magis incertitudinem probat Politicæ, ac naturalis*

B 2

philo-

i) Epstein. in annot. ad cit. Polit. Horn. eidem annex. c. 5. p. 66. *k)* vid. Jac. Martin. Problem. philos. disp. 1. q. 10. *l)* 6. Eth. Nic. c. 8.

philosophia incerta judicanda sit propter miraculorū cancellos naturales excedentem indolem. Resp. Miracula nisi concursu Divino supernaturali non fieri; Longè ergò diversissimam miraculorum & minus speratorum in negotio civili eventuum esse rationem. Num eventus hujusmodi [in hodiernis Rebuspublicis, quæ Judaica Theocratia non sunt] operationi DEI supernaturali [& quidem semper] adscribet Hornius? Cùm in rebus civilibus ordinatè sic volente citra supernaturalem suum concursum summo rerum arbitro, pleraq; si non omnia fiant & gerantur.

§. 6. De certitudine autem Metaphysicæ, quam ex ipsius præcipuè objecto sumimus, quid dicemus? Cùm enim certitudo scientiæ ex firmitate & rerum, quæ docentur, immutabilitate quàm maximè conspicitur, tantoq; major sit, quò res, quæ sub scientiam cadunt, sunt magis immateriales, & expertes potentiæ [passivæ,] vel ex hac sola ratione evidentissima esse Metaphysicæ certitudo dispalescit, quippe quæ [si præsertim methodum tradendi hanc disciplinam Aristotelicam spectes,] circa Deum resq; Divinas, tanquàm objectum suum primarium occupatur. *Sunt autem res ejusmodi Divinæ à materiæ potentiæq; concrezione penitus segregatæ, omniq; ex parte immutabiles sempiterno ævo perseverant. Non nata sunt in loco esse, neq; tempus ipsa facit senescere, neq; ulla transmutatio ullius eorum est, quæ super extrema disposita sunt latrone, sed inalterabilia & impassibilia, optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam perseverant toto ævo.* inquit de iis, quæ metaphysicæ sunt considerationis, Aristoteles. *m)* Maximam iccirco nobile scientiæ nostræ objectum certitudinem ipsi conciliat, qualis in disciplina inferiori conspicitur nulla, ob eamq; causam multis Metaphysica parasangis post se Politicam relinquit.

§. 7. Huic ex objecto oriundæ Metaphysicæ firmitati quantum ex principiorum, causarumq; universalissimarum tractatione accedat, egregius ille Philosophi locus *n)* satis ostendit; *Quò enim quisq; ait, ex superioribus causis cognoscit, eò rem multò certius intelligit, siquidem ea semper priora sunt, quæ ita sunt causæ, ut nullas prætereà causas habeant, quarum effecta sunt. Itaq; si, ut quisq; ex prioribus cognoscit, certius cognoscit, is certè, qui ex primis omnium rem noverit, certissimè noverit. Et si est illa semper magis ac magis scientia, hæc omnium maximè scientia erit.*

§. 8. Ad Metaphysicæ objectum cùm jam (2) progredimur, disciplinæ hujus ex illo præcellentiam evincere laborantes, quid ad hoc adversarius?

m) lib. 1. de Cælo c. 9. cont. 100. *n)* 1. Post. c. 7.

rius? Num & heic esse penes politicam prærogativam clamabit? Cùm enim *ex objectis sua pretia sortiantur habitus*, o) quod ipse Hornius nobis concedit, *discipline nobilitatem non parùm stabilire objectum*, afferens, aut particulare præstare universali: quod absurdum, aut Politica nobiliorem esse Metaphysicam, sed quantum hoc in ipsius cerebro *Ἰσοδοξον!* concedere necesse habebit. Enimverò en egregiam elabendi ex hac difficultate rationem! *Universalitas nullam, inquit, evincit nobilitatem.* Quid ergò? num particularitas? aut, ne conqveri de injuria possit, singularitas? Ita videtur Hornio. *Nam, pergit, quò magis res accedit ad naturam individualem ac singularem, eò perfectior est, & Ens singularissimum est aliàs nobilissimum, exemplo DEI, cujus natura universaliter sub multiplicatione non nisi impiè & absurdissimè concipitur.*

§. 9. Verùm tumultuaria omnia & ἀνακόλυστα. Resp. enim (1) πρὸς ἀνθρώπων: Sol, luna, & si quæ species dantur aliæ monadicæ, magis ad naturam accedunt singularem, quàm nobilissimæ Dei creaturæ, Angeli & homines, num præstantior natura solis & lunæ, quàm hominum & Angelorum? Propiùs à natura abest individuali ars futoria, quippe quæ circa corium tantummodò occupatur, quàm Politica, hujus enim considerationis universalis quoque esse contendit Hornius, vid. §. seq. 12. transfigat ergò de præcedentia cum futore ipse Politicus. Aliud (2) est, esse naturam individualem, aliud de natura individuali agere. Nam si vel maximè verum esset, uti tamen non est, præstantiorem rem individualem esse illa, quæ à natura universalis propiùs abest, ne tamen sic quidem, quod intendit, obtineret Hornius; Cùm non, quod de natura singulari agit, sed quod ipsa est illa singularis natura, nobilius esse, ex adversarii argumentatione sequeretur. De Deo autem, quod ineptit Hornius, nihil omninò ad rem facere, sic ostendo: Deus natura est non individualis, sed *dividualis* & singularis, imò singularissima, quam, si ita loqui licet, singularitatem ipse solus possidet, nec ullam in illius consortium creaturam admittit, consistit enim illa non tantùm in Personarum Trinitate, sed absqve ea [notitiâ salutari] concipi planè nequit, Deumq; tanquam Ens singularissimum denominat. Malè ergò hanc Dei singularitatem ad imperium suum politicum Hornius applicat, cùm non ideò Ens nobilissimum Deus dicatur, quòd sit singulare, sed quòd sit singularissimum, Deus Trinus putat, hanc ad conceptum suum perfectum personarum Trinitatem præcisè requirens.

B 3

§. 10.

o) vid. Celeberr. nostrum Thomasiū, Præceptorem meūm cum cura colendum annot. 127. in Phil. suam Pract. ad Tab. XXIX. n. 6

§. 10. Facere huc putes egregium illum B. nostri Carpzovii locum p) de hac Dei unitate ita scribentis: *Unitas Dei non concipi à nobis debet sub ea formalitate unitatis, quâ omne Ens Metaphysicum ut unum mente concipi à nobis solet, sed longè aliâ ratione, cui similis in naturali mentis nostræ conceptu non datur, & quæ sola ex Divina revelatione nobis innotescit. Nam quando de Deo unitas predicatur, tunc quidem ipsa partim indivisio essentia significatur, partim omnis multitudo excluditur, ita ut unus saltem Deus sit, non plures, sed tamen adhuc aliud quid mysterio plenum simul etiam involvit. Quando enim (1) de intelligente natura unitas predicatur, non nisi ejusmodi unitas concipitur, quæ uni supposito coëxistat: Divina verò unitas tribus personis coëxistit. (2) Unitas hac Dei non universalis est, qualis est speciei vel generis; sed merè ac singularissimè singularis, & ut Lutherus in cap. 1. Gen. loquitur, unissimè una, excludens non actualem tantùm, sed etiam potentialem divisionem.*

§. II. (3) Ut ulterius adversarium urgeamus, dicimus, Deum non tantùm esse ens singularissimum, sed etiam universalissimum, causam putà, primam & universalissimam, à qua dependere inferiores omnes causasq; secundas cernimus. Sed inquis, Horni, de natura Dei tibi, non effectu esse sermonem; Rectè, ostendam tamè verbis Celeberrimi nostri Thomasi q) Deum non tantùm universale esse in causando, sed prætereà alio quoq; modo. Verba Viri sunt hæc: *Cùm ultra primum analogatum, quale in generibus Entium Deus est, evolare abstrahendo non oporteat, sed in eo tanquàm in ultimo sit omninò sistendum, eveniet hoc pacto, ut ultimum illud sibi sit, ut ita loquar, species, simul ceteris analogatis omnibus instar generis, h. e. instar nature sublimioris ampliorisq;, cui reliquas species omnes tanquàm inferiores, licet inæqualiter subjici, earumq; perfectiones ex majori minorivè ad primum illud accessu estimari conveniat.*

§. 12. Ipsa insuper inanitate inanius est, quòd, ne argumentorum inopiâ laborare adversarius videatur, disciplinam quoque universalem [cur non universalissimam?] Politicam celebret, quam non unam tantùm considerare Rempubl. dicit, quinimò ea, inquit, explicat, quæ omnibus sunt communia. *Quando Monarchiam, aut aliam Civitatis speciem declarat, non descendit statim ad ipsa individua Rerumpubl. &c.* Quæ Hornii verba prioris suæ responsionis nullitatem ipsum agnoscere, satis testantur, cùm jam
suæ

p) Isagog. in libb. Symb. Part. 1. sect. 3. memb. 2. p. m. 78. q) in Sched. Histor. p. 7.

fuæ nobilitatem Politicæ non ampliùs ex singularitate, sed aliquali uni-
versalitate stabilire se posse confidat. Æqualis tamen cum priori ponde-
ris altera hæc ipsius cavillatio. Consideret enim non unam in individuo
Rempubl. Politica, explicet ea, quæ omnibus sunt communia, quid tùm
postea? num propterea disciplina erit universalissima? Ecquid de physica
Hornius senserit, quippe quæ de corpore naturali non in individuo agit,
non considerat materiam, quæ est in hoc cane, quæ in hoc lapide, in hoc
vel illo individuo humano, sed de lapide agit in communi, de homine, de
cane, ab omni materia signata præscindendo, num physica censente Hor-
nio est disciplina universalissima? Agit Mathesis de quantitate, non præci-
sè de illa, quæ est in hoc corpore, sed de quantitate in communi, nunquid
verò propterea universalissimam eam disciplinam dixerit? Ex Hornii li-
beralitate dicenda forsitan erit. At quid opus est verbis? cùm, si paulò præ-
siùs rem pensitemus, quodq; præcipuum est in rebus politicis, respiciamus,
non tam circa universalia versari prudentiam, quàm opus esse, ut *singula* e-
tiam cognoscat, fateri cum Philosopho necesse habeamus; *Est enim*, in-
quit ille, *r) activa, actio verò occupatur circa particularia.*

§. 13. Ne autem citiùs, quàm par erat, ineptire Hornius desinat, *necessi-
tatem* quoque objecti Metaphysici parùm facere ad hujus disciplinæ di-
gnitatem, dicitur. *Necessarium objectum*, ait, *non continuo præstantius. Li-
beræ quippe hominum actiones anteponuntur necessariae lapidis descensionis, &
reliquis nature necessario agentis operationibus.* Intellego, quò tendat ad-
versarius. *Contingens* forsitan idem erit, quod *liberum*, & *libertas moralis* ipsi
opponetur *necessitati transcendentali*. Ecce ergò derisor divinæ hujus sci-
entiæ ex ignoratione Metaphysicæ quàm turpiter vapulet. Perquàm pau-
cos, conqueritur alicubi Scaliger, *s) bonos* inveniri Metaphysicos, ejusq;
rei causam affert, quòd disciplinam hanc irrideant plurimi derideantqve;
Id quod in Hornio nostro usu venire clarissimè deprehendimus. Perpen-
das quæsò argumenti ipsius firmitatem: Quæcunq; disciplina agit de re-
bus necessariis, illa dignitate inferior est altera, quæ de rebus agit liberis.
Sed Metaphysica &c. Præterquàm enim, quòd quatuor terminorum vitio
argumentum laboret, cùm in propositione sermo sit de *necessitate physica*,
in assumptione de *necessitate metaphysica*, præmissarum utraq; diverso licet
respectu, est neganda. Nam major si de necessario loquatur Metaphysico,
apertè falsa est, cùm necessarium ibi non opponatur *libero*, sed *contingenti*.
Quod

r) lib. 6. Eth. Nic. c. 8. s) Exerc. 254.

Quod autem hoc modo necessarium est, tantum abest, ut imperfectionis inde, quemadmodum ineptè sibi imaginatur Hornius, argui possit, ut omnium potius censendum sit perfectissimum, quò major enim alicujus rei est necessitas, eò præcellentior ipsi perfectio competit. Quam ob causam Ens summè necessarium Deus statuendus est, cum hîc necessarium (putà simpliciter & absolutè tale,) illud dicatur, quod planè secundùm suam naturam immutabile existit, seu, cujus opposita, uti definit Philippus, *t*) simpliciter sunt impossibilia. *Dicitur illud*, inquit Aretius, *u*) ἀναγκάσιον κυ-
είως, simpliciter: Sic Deus est. Et hæc sola est ratio, cur omnia præter De-
 um Entia hypotheticè tantùm necessaria, *w*) adeòq; hoc etiam nomine
 imperfectiora Deo infinitis modis dicantur, quum omnis contingentia, cui
 creatura quælibet respectu Creatoris subjacet, imperfectionis aliquid in-
 ferat. *x*)

§. 14. Facere hîc profectò non possum, quin pulcherrimum B. Augu-
 stini locum, *y*) in quo miserrimam hominũ conditionem, ex tali, cui sub-
 jecti sumus omnes, *contingentia* resultantem graphicè depingit, miserisq;
 gemitibus prosequitur, adscribam. Sic enim ille: *Heu miser, quid sum?*
Heu, quid futurus sum? Vas sterquilini, concha putredinis, plenus fœtore
& horrore: cæcus, pauper, nudus, plurimis necessitatibus subditus, ignorans
introitum & exitum meum. Miser & mortalis, cujus dies sicut umbra præ-
tereunt, cujus vita sicut umbra lunatica evanescit: sicut flos in arbore cre-
scit, & statim marcescit, nunc floret, & statim aret. Vita, inquam mea fra-
gilis, vita caduca, vita, quæ quanto magis crescit, tantò magis decrescit:
quanto magis procedit, tantò magis ad mortem accedit. Vita fallax & um-
bratica, plena laqueis mortis. Nunc gaudeo, statim tristor, nunc vigeo, sepè
infirmor: nunc vivo, statim morior: nunc felix appareo, semper miser: nunc
video, jam fleo. Sicq; omnia mutabilitati subjacent, ut mihi vix una hora
 in uno statu permaneat. En insignem illam ex tua, Horni, libertate [quæ
 enim contingentia sunt, tu libera pronuncias,] propullulantem felicitatem!
 quâ, nisi Divina voluntas nobis in his angustiis vel maximè spectan-
 da, obstaret, ego quidem carere lubentissimè vellem.

§. 15. Ex his satis superq;, puto, patebit Hornio propositionis suæ de
 necessario metaphysico intellectæ falsitas; Sin verò sermonem inibi de
 necessa-

t) lib. 2. Dial. p. 132. *u*) super cap. 18. Matth. p. 121. *w*) vid. Thom. Sa-
 gittar. Metaph. p. 223. seqq. *x*) Scalig. l. II. de C. LL. c. 166. p. 414.
y) Tom. 9. lib. soliloq. c. 2. p. 755.

necessario *physico* sibi esse dicat, maxima tamen adhuc majoris illius conspiceretur futilitas, cum [taceo enim, committi sic ab Hornio ignorantiam elenchi,] aliud sit, occupari circa rem liberam, aliud, liberum quoad essentiam esse. *Posterius* præstantiam rei quandam conciliare concedimus, *prius* verò negamus. Et sic destructa majore ad minorem respondere nihil attinet, hocq; eò magis, quia novum in illâ terminum implicari deprehendimus. Quòd si verò quatuor terminorum in argumento ἀπαδειξίαν amovere à se conetur Hornius, necesse est, in minore quoq; sermonem sibi de necessitate physica esse demonstret, id si fecerit, falsitatem etiam illius, & citra laborem quidem, demonstrabo. Tandem, invertamus argumentum, & ideo, quia circa res liberas, imò contingentes [quæ aliter atq; aliter se habere possunt] Politica, circa necessarias versatur Metaphysica, huic præ illa nobilitatem accedere quàm amplissimam, affirmemus.

§. 16. Et quid? num sui ipsius immemor præstantiorem Metaphysicâ Ethicam esse Hornius perhibet? quàm dignitate inferiorem sapientiâ nostrâ antea dixerat. *Si prudentiam*, inquebat, [quæ verba Aristotelis locum paulò antè ab Hornio cit. respiciunt, ubi sapientiam prudentiâ politicâ excellentiorem pronunciat Philosophus,] *de Ethica aut privata circumspeditione interpreteris, aliquid concedi pesser, de Politica nihil.* Quibus sanè verbis primas metaphysicæ præ Ethica adjudicat, cum tamen & hæc de rebus liberis [hominum nempe actionibus] agat, per quarum tractationem nobiliores esse disciplinas in præcedd. adversarius statuerat. Agnoscat ergò sui argumenti infirmitatem, per quod illicò, quod nunc adstruit, antea à se dictorum oblitus ipse iterùm refellit.

§. 17. *Tertium*, quod pro Politicæ præ Metaphysica nobilitate militat, petit adversarius *ab utili. Utilitatem majorem*, inquit, *percipi posse ex civili prudentia, quam speculationibus nudis & otiosis, ipsimet contemplatores vel invitati concedunt.* Imò verò non invitati concedimus, utilitatem Politicæ esse majorem, quàm speculationum, sed speculationum *otiosarum.* Quisnam autem speculationes nostras otiosas esse, Hornio revelavit? Ac tametsi dari nudas ejusmodi contemplationes nonnunquam posse non negamus, in quas vehementiùs aliquantò B. Danhauerus ζ) invehitur, [hæ enim ipsi sunt *philosophia abstractiva, quæ Creatori ex suo non sacrificat, & nudis disputationibus contenta, uno, uti loquitur, maligne hircum, altero cribrum supponente satagit,*] non tamen hoc ipsis scientiis, & hîc quidem Metaphysicæ, in abstracto, sed vitio Metaphysici in conereto adscribendum putamus.

C

§. 18.

ζ) Hermenevt. S. p. 99.

§. 18. Quem in sensum exaudienda quoque existimes B. nostri Hülsemani verba, qui minùs aliàs favere speculationibus videri possit, sic enim ille alicubi: a) *Activa vita per se contemplativa præstantior est, & majorem etiam fructum tam in agente, quàm patientibus producit.* Qualis autem illa sit vita contemplativa, cui præstare B. Vir activam dicitur, cum integra ipsius disputatio, tum, quæ statim subjungit verba, satis innuunt, *Monachos, inquit, inter infirma Ecclesie membra numerandos censet Granatensis conc. 2. in festo Matthæi.* Sed ô egregiam monachorû speculationem! quam tantum abest, ut ad aliorum commodum dirigant, ut omni potius contemplatione valere iussa, gulæ aliisq; carnis desideriis, turpissimoq; sese otio mancipient, ut, quò olim elogio suos Cretensium Prophetæ ornavit, b) *Monachis nostris applicare, eosq; ἡμεῖς & γὰρ ἕως ἀπυὰς dicere haut injuria possis.* Quamquam vitam hanc monasticam eximiis efferri titulis, laudibusq; ad cœlum evehi à Scholasticis, dictum illud Christi: c) *Maria optimam partem elegit,* huc trahentibus, vitæq; theoreticæ typum Mariam, practicæ verò Martham ponentibus, videas. d)

§. 19. Hanc & id genus aliam vitam speculativam omni carere fructu, utinam nemo esset, qui negare præsumat. At verò cave hoc speculationi, & in specie quidem Metaphysicæ per se tribuas, quæ licet ad machinas farinarias conficiendas, ut Scaligeri e) voce utar, non faciat, sua tamen utilitate nequaquam destituitur. Et quamquam ipsius finis iudice Philosopho f) sit veritatis contemplatio propter seipsam, quia de primis rerum causis & principiis, & de rebus dignissimis agit, quarum per se appetibilis cognitio: adeòq; quandam quasi ἀυτάρκειαν [quæ quod utile tantum est, destituitur, ob eamq; causam necessario propter aliud appetitur,] in se Metaphysica habeat, negandum tamen non est, quin [quæ aliàs boni honesti est natura, ut, licet suâ, cur appetatur, gaudeat perfectione ac sufficientiâ, ad alia tamen referri ceu bonum utile quoque possit,] in possessorem inde haut contemnenda redundet utilitas. Ut enim silentio involvamus cetera, nonne inscitia, ut cum Scaligero g) rursus loquamur, *rubigine exui, acuiq; ad alia beneficio Metaphysicæ animus* conspicitur? ut adeò rerum, quæ inibi docentur, non minus subtilitate, quàm sublimitate quasi excitemur, idoneiq; reddamur, ut in addiscendis disciplinis aliis progredi longè feliciùs & faciliùs possimus. §. 20.

a) Manual. Confess. Aug. Disput. 14. p. m. 592. seq. b) Tit. I. 12. c) Luc. X, 42. d) vid Dn. Thomæ. Annot. 34. in Tab. 6. Eth. num. 1. e) Exerc. 307. f) lib. 2. Met. c. 1. g) loc. proximè cit.

§. 20. Ecquis tandem disciplinam, quam naturæ humanæ, in quantum accedere ea ad primævam suam integritatem aliquo modo videtur, desiderio inferre deprehendimus, utilitate carere dixerit? *Natura*, inquit *b)* *Romuli nepotum disertissimus, homini cupiditatem veri inveniendi ingeneravit.* Metaphysica autem maximè ordinata est ad veritatem hanc speculandam & eruendam. Unde gnoma illa acuta: πάντες οἱ ἄνθρωποι ἔχουσιν ὀρέγονται φύσιν, libros suos Metaphysicos Aristoteles orditur, ut inter alia ostendat, quòd in *Metaphysice principia maximoperè naturale sciendi, & veritatis indagandæ desiderium erumpere deprehendamus*, uti ex Joh. Verfor. in quæst. super Metaph. Aristot. docet Joh. Scharf. *i)* Aliàs ipsius, quas omnibus Facultatum superiorum cultoribus præstat, utilitates, cum sine eâ solidè docti Viri evadere nequeant, lubens jam præmitto. Non ergò pro inutili Metaphysica nostra à vanis ipsius contemptoribus traducenda erit.

§. 21. Sed ut ad finem properemus, lubet ex adversario adhuc quærere: quisnam Philosophorū utilitatem tantummodò in rebus spectare, ipsum docuerit? Equidem utilitate metiri [citra respectum ad honestum, qualem indigitari ab Hornio ex ipsius verbis colligimus,] rem fæx vulgi alioquin solet, cui si tantum annumeres Politicum, valdè, ne ægrè ferat, verendum est. Quicquid tamen hujus sit, solâ utilitate rerum æstimare necessitatē juxtà ac dignitatem, quasi non, nisi quod prodest, charum esse honestatis studioso, appetiq; ab eo debeat, indignum Philosopho existimamus. Eò ergò vilitatis Hornio cum Metaphysica devenerit, ut, quia mercenariâ à se ad γενναίισμὸν sua referente studia, operâ coli non posse, illam videt, neq; necessariam, neq; utilem disciplinam esse arbitretur, qualia eruditorum de se mereatur judicia, ipse judicet.

§. 22. Ultimum, quo concutere, imòq; suo fundamento dejicere Metaphysicæ nostræ imperium intendit, telum jam adhibet adversarius, tanto ex ipsius quidem opinione pollens robore, ut de gradu suo nunc proturbata, imperioq; denudata misera ipsi compareat. Sed ne sic quidem labefactari nostræ dominantis scientiæ posse deprehenditur. *Novimus*, inquit, *Metaphysicam à Politica in exilium aliquando missam & relegatam esse: quæ pœna huic ab ista nunquam inflicta est.* Resp. Exilio mulctatam aliquando Metaphysicam esse, lubentissimi fatemur, nam ut cætera disciplinæ hujus fata taceamus, hâc ipsa olim nostra Academia pulsam, exulareq; ab illa ad annos benè multos coactam & ipsi novimus, donec tandem nostrâ memoriâ pensitata ipsius utilitate pariter & necessitate rursùs introducta, Professioniq; Dialectices adjecta fuerit. Hoc autem num dubium reddere Metaphysicæ imperium valebit? Quid si Brugensi, ipsam

b) 2. & 5. de fin. *i)* quæst. philos. disp. 1. q. 1.

S. Theologiam non rarò profligari, & à Politica in exilium trudi, objicerem, num & illà præstantiorem hanc judicaverit? Nostram igitur persequatur Metaphysicam Politica, suo tamen eam regimine nunquàm exuet, non *practico* quidem, quod proprium Politicæ esse fatemur, eiq; tale eripere non intendimus, *theoretico* tamen, non *phantastico*, uti cavillatur Hornius, sed vero & realissimo, quod ad abundantiam superiùs fuit demonstratum.

§. 23. Distingvere præterea inter Politicum & Politicam, Metaphysicū & Metaphysicam possemus. Quòd si interdum Politicos quosdam, aut Politicam tyrannicè usos ex urbibus sapientes ejecisse usu venerit, quid hoc ad ipsas disciplinas? k) num propterea inter illas metuenda circa primatum contentio? Quamlibet à Politico experiatur Metaphysicæ cultor fortunam, ipsam tamen Metaphysicam & Politicam, hanc servam, illam principem ac dominam, amicissimè inter se conspirantes, & Politicam non Metaphysicæ, sed *pro Metaphysica* l) imperantem deprehendes.

§. 24. Mirum itaq; videtur Hornio, quod mirum non est. Miretur, quamdiu velit, quòd *speculativarum sectatores dicam scribere Politicæ de prerogativa sint ausi*, & vel hoc, si non alio modo ipsius orbi erudito innotescet in his literis ignorantia; *Αγνοίας* n. proprium *ἑαυμάζειν*, & qui dubitat, & admiratur, putat se ignorare, inquit Aristoteles. m) Id quod loco clausulæ decoquendum adversario relinquimus.

§. 25. Et hæc ferè sunt, quæ contra Hornium afferre in medium pro institutione libuit; Quòd si pensatiùs aliquantò examinare ipsius objectiones concessum fuerit, alia adhuc, & non pauca quidem, cumulari contra ipsum nullo negotio potuissent. Enimverò cum & hæc & alia plura jam, quæ ad præsentem dicenda erant materiam, adjicere & temporis & chartæ angustia prohibeat, tela nobis abrumpenda est impræsentiarum. Dabitur cum DEO & die pleniùs aliquantò hanc rem pertractandi occasio. Gloria interim sit DEO Opt. Max. pro concessis viribus in infinita secula!

k) Eplstein. l. c. l) Scherzer. l. c. p. 491. m) lib. I. Met. c. 2.

Ἐπιστάγματα.

1. *Quæstio: An creatura potuerit Deo coeterna fuisse, exulare à Christianorum cathedris debet?*
2. *Distinctio majestatis in realè & personalè, modò rectè explicetur, retineri potest.*
3. *Vi stuprata castitatem retinet.*
4. *Omnes Ethnicorum libros ex Christianorum Scholis esse eliminandos, Fanatici in Offenbar. Göttl. Maj. lib. 6. p. 211. falsò asserunt.*
5. *Due tantum sunt hominis partes essentielles contra VVeigel. part. 1. γινώθι σεαυτὸν, p. 6. 8. 9. 10. &c.*
6. *Fœdera cum infidelibus non sunt pangenda.*

Coll. diss. A. 55, misc. 8